





25

1738 22

DE  
VERITATE  
PER CLERICVM ERVENDA  
DISSERTATIO INAUGVRALIS

QVAM  
EX GRATIA  
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS  
ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE  
PRO CONSEQVENDIS  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

D. NOVEMBR. MDCCLVIII  
IN AVDITORIO MAIORI  
SINE PRAESIDE  
DEFENDET

FRIDERICVS AVGVSTVS  
FISCHERVS

VITEMB. SAXO  
FISCI REGII STEVRALIS IN CIRCVLO ELECTORALI  
PROCVRATOR ET SENATOR VITEMBERG.



VITEMBERGAE  
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA



22

VERITATE  
PER CLERICVM ERVENDA

DISSERTATIO INNA GYRALIS

QUAM

EX GRATIA

POTENTISSIMI POLONIAE REGIS  
ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE

PRO CONSECRANDIS

SUMMIS IN VITAE HONORIBUS

ACADEMIAE

IN AUDITORIO MAIORI

SINE PRAEJUDICIO

DEFENDIT

FREDERICVS AVGVSTVS

FISCHE RVS

IN ANNO


FISCI RIGAE SPECIALLY IN CIRCVLO ELECTORALI  
PROVOCATVM ET SENATVS VITAE



KITTEBERGAE

EX OFFICINA SCHEMANNIANNA





§. I.



ius suum cuique tribuendum esse, et naturalis ratio suadet et ciuilib. Hoc autem cum fieri non possit, nisi de facto controuerso constet, omnem iudex adhibebit operam, vt veritatem, quantum fieri potest, in lucem producat. Sed hic periculosa plenum opus aleae tractatur. Quo magis enim iudices de eruenda veritate laborant, eo studiosius rei fugiunt et veritatem occultant, vt, vel meritis poenis se subtrahant, vel illud a se amoliantur, ad quod in alterius commodum sunt obligati. Possunt quidem, si testes aut documenta in promptu sunt, facile conuinci, illis autem deficientibus, frustra saepenumero



mero laborant iudices, cum tortura tam corporalis, quam spiritualis, quae in subsidium adhiberi solet, optato multoties destituatur exitu.

## §. II.

TORTURAM enim, quae in specie ita dicitur, quod attinet, illam plerumque fallere, communis est querela, ab antiquissimis iam inde temporibus frequentata. Audiatur modo VLPPIANVS in *l. 1. §. 23. Pand.* de quaestionibus, ubi: Quaestio, inquit, res est fragilis et periculosa et quae veritatem fallat. Nam plerique patientia siue duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit, alii tanta sunt impatientia, ut quoduis mentiri, quam pati tormenta velint. Nec defuerunt, nostra aetate, qui acriter contra torturam pugnarent, quin imo maximus est numerus eorum, qui manifestissimae iniustitiae torturam arguunt, illique, Anglorum exemplo, repudium dandum esse, enixe suadent, inter quos agmen ducit GREVIVS in libro, quem Tribunal reformatum, inscripsit, cui socium se adiunxit MART. BERNHARDI in dissertatione, quam de tortura ex foris Christianorum proscribenda, sub praesidio THOMASII, Halae 1715. habuit. Quamvis autem,

tortu-



torturam rem fragilem et periculosam esse, nemo negare possit, multum tamen abest, ut usus eius inter Christianos plane sit improbandus. Hinc suos quoque tortura habuit defensores, inter quos III. LEYSERVM nostrum in *Meditat. ad Pand. Spec. 630. de acqutate tormentorum*, et HVBERVM in *praelectionibus ad Pand. Tit. de quaestionibus §. 1.* nominasse sufficiat.

### §. III.

SED nec iurisiurandi religio ad veritatem dicendam semper compellit homines, cum haud pauci ea sint animi peruersitate, ut praesenti lucro magis commoueantur, quam vindictae diuinae et futurarum poenarum, quas aut incertas esse, aut precibus aliisque modis auerri posse perperam credunt, terrore, ut adeo mirum non sit, si nostri quoque iudices cum VLPIANO in *l. 8. pr. Pand. de condit. instit.* saepe conqueruntur, quod faciles sint nonnulli homines ad iurandum contemptu religionis.

### §. IV.

QVID igitur faciet iudex, qui media ad eruendam veritatem in iure nostro alias praescripta, in hoc uel illo casu,





insufficientia et minus idonea esse deprehendit? Vnam illam  
 quae restat, medicinam adhibebit, et eam, quam nec iu-  
 risiurandi religio, nec tormentorum seueritas, a reo ex-  
 primere potest veritatem, serua clerici admonitione, in lu-  
 cem producere conabitur. Iudex enim, licet omnem ad-  
 hibeat operam, vt ad veritatem dicendam graui adhortatione  
 commoueat reum, parum tamen plerumque efficere solet,  
 cum formulam magis consuetam, et vsu iudiciorum rece-  
 ptam recitari, quam rem serio agi, seque occultatione ve-  
 ritatis, aeternum salutis periculum incurrere, sibi persuasum  
 habeant rei. Aliter longe res se habet, si per ministrum  
 verbi diuini de manifestanda veritate commonentur. Ipsa  
 enim eius praesentia, vti sacrum quendam horrorem incu-  
 tere solet hominibus, cum eum summi numinis ad se nun-  
 cium, et diuinae voluntatis interpretem esse, haud ignorent,  
 ita alloquium eius multo faciliorem sibi aditum parat ad  
 reorum animos, cum dictis sacerdotum magnum plerum-  
 que pondus inesse solet, quippe qui dies noctesque eloquen-  
 tiae sacrae operam dant, et ea argumenta studiose conqui-  
 runt, quae ad commouendos, metu numinis, hominum  
 animos, maxime sunt idonea, vt alia iam taceam argu-  
 menta,





menta, quae eam in rem a MYLIO in *Dissert. de admonitione de vitando periurio, quae fit per clericum*, Lips. 1733. fuerunt prolata.

## §. V.

SOLENT igitur ICI clerici opera nonnunquam uti, ut veritas, quae in occulto latet, et aliter exquiri non potest, in lucem proferatur. Quo minus autem ea de re dubitari potest, cum illud usus quotidie docet, et vnanime doctorum testimonium, confirmat, conf. WERNHERVS, *P. VI. Obs. 480.* et MENCKENIVS in *tractatione synoptica processus Tit. XVIII. §. 30.* eo difficilius est verum huius moris originem inuestigare. Operam certe perderet, qui ex iure Romano eam vellet deriuare. Iuramenta enim publica, licet in aedibus decum, praecunte verba pontifice, apud Romanos fuerint nuncupata, imo licet et priuata iuramenta, praesente clero, nonnunquam fuerint praestita, uti ex *l. 7. §. 5. Cod. de curat. furios.* apparet; eius tamen rei, de qua nobis quaestio est, nemo facile reperiet vestigium. Iuri igitur pontificio originem forte debebit ista consuetudo? Iusiurandum enim in locis sacris ad reliquias martyrum, quos certos et repentinos periurii vindices esse credebant, praestabant



bant quondam Christiani, quod multis testimoniis comprobabat BOEHMERVS in *Iur. Eccl. Prot. Lib. V. Tit. 34. §. 11. seq.* quin imo causae iuramentorum, ex principiis Iuris Canonici foro ecclesiastico vindicantur, secundum *cap. 13. X. de indic.* ex quibus fortasse colligere quisquam posset, in hoc negotio, quod ecclesiasticum credebatur et in ecclesiis olim peragendum erat, suas quoque partes clerum interposuisse et de dicenda veritate vitandoque periurio, sacramentum dicturos monuisse. Quemadmodum autem et hic verum atque indubitatum nihil asseri potest, ita facile assentimur MYLIO, qui in dissertatione supra laudata, §. 2. vix esse, ait, ut certos huic rei natales assignare queamus. Hoc sane maxime probabile est, morem illum usu fori introductum fuisse, quem non adeo antiquum et saeculo decimo septimo superiorem non esse, facile constat.

### §. VI.

Vsu igitur fori inualuit, ut clericus in subsidium adhibeatur, si media illa, quae ad veritatem eruendam in iudiciis ordinarie adhibentur, minus idonea esse deprehenduntur. Fit illud non solum eo in casu, quando tormentis confessio



fessio rei exprimenda est, sed et tunc, quando sub iurisiurandi religione veritatem aliquis asserere debet. Ne autem ordinem turbemus, de usu clerici in tortura reorum infra tractabimus, et hic, ante omnia, exponemus, quando clericus in iurisiurandi actu adhibearur, vt iuratos commoneat, quam graue scelus sit periurio Deum hominesque fallere.

### §. VII.

HANC clerici admonitionem, tam in criminalibus, quam in ciuilibus causis, saepe vsurpari, illis incognitum esse non potest, qui in foro versantur. Cum autem vulgus eum plerumque graui quodam scelere se commaculasse, et hominem leuem periuriique maxime suspectum esse existimat, qui de vitando periurio a clerico commonetur, hinc oppido patet, iuratos, vt famae ipsorum consulatur, non indistincte per clericum admoneri posse, sed eo saltem in casu, quando periurii suspicionibus premuntur, vel quando lex admonitionem per clericum faciendam esse iubet.

### §. VIII.

SUNT quidem, qui in causis criminalibus, et quando delicti commissi suspicio, iuramento, quod purgatorium

B

plerum-



plerumque vocatur, amoueri debet, admonitionem, de vitando periurio, per clericum regulariter faciendam esse, existimant, sed, mea quidem sententia, sola iudicis admonitio, etiam in iudiciis criminalibus in regula sufficiens esse videtur. Clericus enim, vti supra iam monitum fuit, tunc demum adhibetur, quando periurii suspiciones, contra reum militant. Hae autem in dubio abesse censentur, cum ex dispositione *L. ult. Cod. ad L. lul. repetund.* nemo timoris diuini, contemnendo iusiurandum, immemor esse credatur, vt saluti propriae ullum commodum anteponat, ex quo doctores quoque colligunt, quod periurium nunquam praesumatur. Conf. *CARPZOVIVS Part. I. Confut. XVI. Defin. LIII.* Ille igitur, qui iusiurandum purgatorium in causis criminalibus dicturus est, monebitur quidem per ministrum verbi diuini, sed tunc demum, quando eum peioraturum esse, suspicio subest, quod multis certe modis contingere solet, veluti si grauib, ad torturam tamen nondum sufficientibus indiciis, iuraturus oneratur, aut si homo vilis est et animum prodat leuem, verique cultus diuini praeceptis, parum imbutum. Interim tamen iudicis arbitrium hic neutiquam erit excludendum, illud potius in  
 deci-



decidenda quaestione, vtrum iuraturus per clericum admonendus sit, vtramque facit paginam. Hinc quoque WERNHERVS P. VI. *Obs.* 480. tota haec res, inquit, propter deficientem legis dispositionem, ab arbitrio iudicis pendet, qui, prout religio suggesserit et circumstantiae suaerint, decernere potest.

## §. IX.

NON autem in criminalibus solum iudiciis, sed et in ciuilibus, sacramentum dicturi, de vitando periurio, per clericum moneri possunt. Hoc, quemadmodum vsu fori et ICtorum testimonio, satis quidem comprobatur, vid. praeter WERNHERVM et MENCKENIVM, ad quos in §. 5. prouocauimus, Ill. RIVINI *Enunciata Iuris Tit. XVIII. Enunc. CXLV. Tit. XXVI. Enunc. XXXVII. et Tit. XXXII. Enunc. IV.* ita facile patet, in causis ciuilibus, admonitionem clerici multo infrequentiorem esse, quam in iudiciis criminalibus. Magna enim inter vtrumque iudicium intercedit differentia. In criminali de eo quaeritur, quod publice interest, in ciuili, de iuribus priuatorum tantum agitur. In illo grauior semper subest periurii metus, cum rei, leuioris in primis notae, omnia moliri solent, vt



tergum vitamque in tuto collocent: in hoc, vbi periurii lucrum tantum pecuniarium est, nemo facile peieraturus esse praesumitur. Praeterea quoque cum clerici admonitio, saltem ex vulgi sententia, vti iam supra monitum fuit, macula quadam iurantem notare credatur, hinc iudices in ciuilibus controuersis, admonitionem clerici rarius adhibere solent, quam in causis criminalibus, eaque plane non utuntur, nisi grauioribus et paene manifestis periurii suspicionibus iuraturus laboret. Conf. *MENCKENIVS* in *Synopsi Pand. de iureiurando* §. 5. Non dubitabit igitur iudex in causa ciuili iurantem, per clericum, de vitando periurio monere, quando homo rudis aut leuioris animi est, qui, metu numinis se parum commoueri, dictis vel factis declarat. Idem dicendum erit de eo, qui verba iurisiurandi, contra intentionem iudicis aut deferentis, se accipere, et reservationes mentales, vti vocantur, se fouere prodit, secundum *MENCKENIVM* in *tractatione synoptica processus Tit. XVIII.* §. 30. Eadem ratione is quoque in causa ciuili sacerdotis opera, de periurio fugiendo, monendus erit, cui veritatis occultatio ingens lucrum affert. Sed hic etiam prudentis iudicis arbitrio multum erit tribuendum. Qua de re in fine paragraphi praecedentis iam dictum fuit.



## §. X.

NEC certae tantum sunt iuramentorum species, in quibus clerici admonitio in causa ciuili locum sibi vindicat, sed quotiescunque singularis periurii metus adest, toties atrocitas periurii et poenae eius grauissimae, per clericum iuramento ob oculos poni possunt. Sic in iuramento malitiae, calumniae, diffessionis, editionis, suppletorio et purgatorio, sacramentum dicitur, per clericum moneri potest, id quod etiam in iuramento delato obtinere, testatur Ill. RIVINVS in *Enunciatis Iuris Tit. XVIII. Enunc. CXLV.* Poterat hic dubium subnasci intuitu iurisiurandi suppletorii. In eo enim omnis periurii metus exulare videtur, cum ex doctorum sententia non iniungitur, nisi quis femiplene saltem probauerit. Sed salua res est. Iusiurandum suppletorium omnem periurii suspicionein nequiquam excludit. Constat enim ex *Ord. Proc. Rec. Tit. XXX.* et eo in casu illud dicitari posse, quando aliquis minus plene tantum probauit, si scilicet ipse de veritate, aduersarius autem de credulitate saltem iurare potest. Hinc curia Prouincialis quae Vitembergae ius dicit, viduae, quae nuptias cum defuncto marito, quae in dubium vocabantur, probare debebat et neque



testes, qui benedictioni sacerdotali interfuisent, producere, neque librum ecclesiasticum, qui ea de re fidem faceret, exhibere poterat, cum aliis quibusdam iuaretur argumentis, et aduersarium non, nisi de credulitate iurare posse, animaduerneretur, suppletorium iuramentum dictare, simulque iuraturae, in sententia Term. Mich. 1752. pronunciata, clericum adiungere non dubitauit, verbis: Jedoch ist bey Abnahme des zuerkannten Erfüllungszeydes, gestallten Sachen nach, ein Geistlicher, der Beflagte vor der schweren Strafe des Mein: Zeydes vermahne, zu gebrauchen. Silentio hic praetermittendum non est, quod admonitio clerici, quam vsu fori introductam esse, et ab arbitrio iudicis pendere affirmauimus, certo quodam in casu necessaria sit, et expressa legis sanctione apud nos requiratur. Pactum scilicet remissorium maioris partis creditorum, reliquos dissentientes etiam inuitos obligat, illud autem ex dispositione Mandati Regii, quod contra debitores, qui foro cesserunt, anno cIo Io CC XXIV. emissum fuit §. 16. locum non habet, nisi ea omnia rite obseruata fuerint, quae in *Ordinat. Mercat. Lips. Tit. XXV.* requiruntur, vbi et hoc praescriptum legitur: Daß der Schuldner nach vorhergehender scharfen Verwar-

Verwar





Verwarnung vor der schweren Strafe des Meineydes, worzu auch einer oder mehr Geistliche zu gebrauchen, vermittelst Eydcs erhalten solle, daß er sein gesamntes Vermögen richtig offenbaret und davon nichts verschwiegen, allerseits Gläubiger auch, dasjenige, so sie praetendiret und er ihnen eingeräumet, wahrhaftig und keiner ein wenigers zu fordern habe. Cum igitur ICti Vitembergenses anno cIo Is CCLVI. a senatu huius loci de validitate pacti eiusmodi remissorii, de quo controuersia erat, confulerentur, valere quidem pactum et dissentientes reliquos creditores obligare responderunt, nullo tamen creditorum vrgente, sponte adiecerunt, quod, ante omnia, iusiurandum, quo debitor bonorum copiam iam eiurauerat, in praesentia clerici, ita, vt in Ord. Merc. Lips. praescriptum est, repetendum sit.

### §. XI.

AB omnibus iudicibus tam inferioribus, quam superioribus, clericum, vt iuratos commoneat, arcessi posse, dubium non est, et vsu fori satis comprobatur. MYLIVS quidem in dissertatione, §. IV. allegata, illa collegia, quibus clerici assident, excipit, et sic ICtos, quando ad Consistoria, vel Academicum magistratum, sententias scribunt, solemnem  
illam



illam formulam: Vorbey ein Geisslicher zu gebrauchen, omittere affirmat, sed usus fori, saltem quod ad academias, contrarium docet. In variis enim sententiis, à Vitembergensibus et Lipsiensibus ICTis ad Senatam academicam, qui hic floret, exaratis, formula ista deprehenditur, cuius rei fidem facit responsum Scabinorum Vitembergensium, quod Academiae nostrae, mense Maio, cLo Io CCLVI. datum fuit, in quo coniuges, qui matri impias manus intulisse, eamque iniuriis atrocioribus lacerasse dicebantur, iureiurando, praesente clerico, se purgare iussi fuerant, verbis: Daß beyde Eheleute nach vorhergehender scharfen Verwarnung für der schweren Strafe des Meinendes, worzu auch ein oder mehr Geissliche des Orts zu gebrauchen, vermittelst leiblichen Eydes sich zu reinigen, und daß sie ic. zu schwören schuldig.

IX  
§. XII.

POTERANT hic varia adhuc adferri, et ea in primis exponi, quae tam a iudice, quam ab ipso clerico, circa hanc admonitionem sunt observanda. Sic Superintendentens plerumque requiritur, vt clericum sistat, acta deinde vel copiae eorum, illi, qui admonitionem peragere debet, communi-



municantur, iuraturus ab ipso prius iudice, in loco iudicii, de fugiendo periurio serio monetur, ab actuario ea, quae gesta sunt, sedulo notantur, et clerico demum certum honorarium pro praestita opera soluitur. Sed otium nobis iam fecit, et omnia, quae huc pertinent, diligenter exposuit GUSTAVVS HENRICVS MYLIVS in dissertat. *de officio iudicis et clerici in actu admonitionis de vitando periurio, eorumque honorario*, quae Lipsiae cIo Io CC XXXVII. in lucem prodit.

## §. XIII.

RESTAT adhuc, vt nonnulla adiiciamus de clerico, reum, torturae subiectum vel subiiciendum, monente. Et constat quidem inter omnes, quod ICI, illos, qui per tormenta veritatem a se exprimi non patiuntur, sed id potius agunt, vt variis artibus torturam eludant, per ministrum verbi diuini, de veritate dicenda, grauius cohortandos censeant. Fit illud in primis, quando ad consuetum illud improbitatis receptaculum confugiunt, ea reuocantes, quae aut adhibitis, aut in conspectu saltem positis tormentis, erant confessi. Tunc enim tortura, vt plurimum, iteratur, et clerici simul adhibetur cohortatio, quo spectat formula pronunciandi consuetâ, quam exhibet HAYMIVS in WERNHERI *principiis iurisprudentiae formulariae* p. 261. Unde es ist Inquisit denen Predigern göttlichen Worts zu untergeben,

C

ben,



ben, und aus diesen zu unterrichten, wie sehr er sich damit an Gott versündigt, wenn er durch Hinterhaltung der Wahrheit und ein solch Bekänniß, so er nur aus Furcht der Marter, und zu deren Abwendung, zugleich aber auch in dem Vorsatze, es hernach zu wiederrufen, thut, die Gerichts-Obrigkeit zu hintergehen trachtet. Haec autem clerici cohortatio, non eodem loco eodemque tempore, in omnibus reis fieri solet, sed, pro ratione eorum, quae rem circumstant, varie adhibetur, et quidem 1) in ipso loco atque torturae, 2) ante eam, extra torturae locum, et 3) post eam, quando reus confessionem tormentis extortam, in loco iudicii ratam habere iubetur.

## §. XIV.

PRIOREM casum adeo frequentem non esse, satis constat. Cautè enim hic procedere, et remedio illo non, nisi rarissime, vti debet iudex, quoniam illud variis difficultatibus premitur. Vulgus certe, quod rude et profanum est, minus conuenire clerico credit, si officium suum exercet, vbi carnifex rem suam peragit. Solet igitur occasionem inde desumere, sacerdotis dignitatem, quae in pretio nobis semper esse debet, variis scommatibus proscindendi. Quin imo non defuerunt viri doctissimi, qui morem illum haud obscure improbarunt, et spirituaalem torturam eo tempore sine fructu adhiberi crediderunt, quo corporalia tormenta reo infliguntur. Pertinet huc MYLIVS, qui in §. V. dissertationis,



tationis, cuius titulum § IV. iam exhibuimus: quid opus est, inquit, imo quid attinet, clericum tormentorum spectatorem esse, cuius efficacissima alias et facundissima colloquia certe minus valent, quam carnificis fidiculae et ingeniosa crudelitas. Idem fere sentit GRIBNERVS in dissertatione *de repetitione tormentorum confesso inficiente*, quae opusculis eius *Tom. V. Sect. V.* inserta est. Ibi enim §. 26. ministrum verbi diuini feliciter et cum fructu, ac, prout par est, officio suo defungi non posse, asserit, vbi tortorem et iudicem vix audit reus attonitus. Sed multa hic in vtramque partem disputari possunt, nec desunt argumenta, quibus, pace tantorum virorum, consuetudo illa, quodam modo defendi queat. Sic clericum, qui eum in finem officio suo vitur, vt veritas in lucem protrahatur, pie honesteque agere, dubitari non potest, vanis autem populi vocibus vir constans commoueri non debet, cum eas exaudiendas non esse, iura nostra disponunt. Ipsa porro tormenta, omnes reos, robustos in primis et laboribus aduetos, ita non afficiunt, vt omnem sensum eis adimant, illisque, quo minus clerici cohortationem percipere possint, aures quasi obstruant, praesertim, quando tormenta, vt fieri solet, remittuntur. Imo hanc clerici admonitionem, quandoque non sine successu factam esse, testatur HEILIVS in *iudice et defensore in processu inquisitionis, Cap. V. §. 46.* sunt enim rei quidam, licet pauciores, qui metu numinis magis per-



mouentur, quam carnificis cruciatibus, cuius rei exemplum  
 exhibet Ill. LEYSERVS in *Meditationibus ad Pand. Tom. X. Spec. DCXL. de perpeſſione tormentorum, Coroll. III.* Ap-  
 paret exinde, admonitionem clerici in ipſo actu torturae,  
 licet varia contra eam moueri poſſint dubia, non eſſe pror-  
 fus improbandam. Hinc Legislator noſter Sereniſſimus in  
 Reſcripto, quod Dicasterijs anno c1o 1o CCXXVII. d. IX.  
 Octobr. datum eſt, morem illum plane abrogandum non  
 eſſe cenſuit, iuſſit tamen in ipſo torturae actu clericum non  
 adhiberi, niſi ſumma neceſſitas id exigat, aut delictum,  
 cuius reus inculſatur, ſit atrociffimum, aut etiam aliis in  
 caſibus Princeps ad relationem Dicasteriorum, illud permi-  
 ſerit. Ipſum autem Reſcriptum Regium, ſequentem in  
 modum conceptum eſt: Demnach von Unſern Rechts-Colle-  
 gijs im Lande zeithero in denen an ſie zum Verſpruch Rechtens  
 überſchickten Inquiſitions-Sachen zum öſtern und vielfältig darauf  
 rechtlich mit erkannt worden, daß bey Vollſtreckung der Tortur  
 an denen Delinquenten, zugleich auch ein Geiſtlicher mit gebrau-  
 chet werden ſolle, hierüber aber ſich ein und andere Bedenklichkeiten  
 herfür thun wollen; Als iſt hiermit Unſer Begehren, ihr wollet  
 hinfünftig, auſſer in dem äußerſten Nothfalle, oder in atrociffimis  
 delictis, auf obige Maaße nicht weiter ſprechen und erkennen,  
 oder allenfalls Uns hiervon vorhero mit Anführung derer Umſtände  
 und Urfachen, warum ihr ſolches vor nöthig erachtet, euren  
 unterthänigſten Bericht zu fernerer Reſolution anhero erſtatten.  
 Daran



Daran geschiehet Unsere Meynung. Datum Dresden am 9.  
Octobr. 1727.

§. XV.

RESCRIPTVM Regium modo commemoratum, de eo tantum casu loquitur, quando reus in ipso loco actuque torturae, per clericum monendus est, id quod verba eius: *Bey Vollstreckung der Tortur an denen Delinquenten, dilucide indicant.* In reliquis igitur casibus in §. XIII. propositis, iudicis arbitrium limitibus istis circumscriptum non est, sed quotiescunque iudex illud conducere existimaverit, ante et post torturam, clericum, ut reum de veritate dicenda, extra torturae locum commoneat, libere potest aduocare, qua de re eo minus dubitandum est, cum ea argumenta, quae, contra admonitionem clerici in tortura, alias proferuntur, et quae in §. XIV. iam fuerunt exposita, locum hic sibi vindicare non possunt. Solet igitur reus nonnunquam ante torturam per clericum moneri, ut verum confiteatur, et instantes corporis cruciatus auertat, cuius rei testis est *LVDOVICI in der Einleitung zum print. Proceß Cap. IX. §. 16.* nec non *HEILIVS in iudice et defensore in processu inquisitionis Cap. V. §. 39.* Solet et, peracta iam tortura, quando confessionem, in tormentis factam, ratam habere debet, per clericum moneri reus, quod praedictis confirmat *MYLIVS in dissertatione saepe laudata §. 5. n. a. et b.*



Hoc eo, in primis, casu accidit, quando inquisitus vel propositus saltem, vel etiam adhibitis tormentis, confessus est, sed in loco iudicii, dicta coram carnifice, reuocat, tunc enim repetitio tormentorum plerumque iniungitur, et si iterum confiteatur reus, in actu ratificationis, ut vocatur, clericus adhibetur, ut eum, de veritate dicenda, grauius cohortetur. Sed quo modo procedendum erit, si hic quoque reus delictum perfracte negat, et cruciatu corporis intolerabili se confessum esse praetendit? Anceps haec est quaestio, quae in diuersas partes Ictorum traxit sententias, qua de re GRIBNERVS in dissertatione, quam §. XIV. iam adduximus, et WERNHERVS *Part. III. Obs. CXXXV.* consuli possunt. Scabini certe Vitembergenses in responso, quod Praefecto Libenwerdensi Mens. Iun. c. 10. 10. CCLIII. datum fuit, censuerunt, reum, ea, quae in tortura confessus erat, retractantem, a ministris verbi diuini admonendum, et si tunc quoque negaret, iusiurandum, praesente clerico, ab eo praestandum esse, verbis: Daß Inquisite, gestalten Sachen und Umständen nach, denen Predigern göttlichen Wortes zu untergeben, und aus diesem gründlich zu unterrichten, wie sehr er sich an Gott versündige, wenn er durch Hinterhaltung der Wahrheit und ein solch Bekänntniß, so er, seinen Anführen nach, nur aus Furcht der Marter und zu deren Abwendung thue, die Gerichts-Obrigkeit zu hintergehen trachte, sodann aber, wenn selbiger in Beyseyn besagter Prediger bey nochmaligen güttlichen Verhör, über die  
fol.





fol. 144<sup>b</sup> vorgeschriebene Fragen, auf seine fol. 185<sup>b</sup> gethane Antwort beharren, und ein anderweit richtiger Bekänntniß aus ihm nicht zu bringen seyn sollte, ist er, nach vorhergehender scharfen Verwarnung für der schweren Strafe des Meineydes, wobey auch ein oder mehrere Geistliche des Orts zu gebrauchen, sich eydlich zu reinigen, und daß er *cc.* zu schwören schuldig.


## §. XVI.

RESTAT, vt, coronidis loco, de testibus pauca adiiciamus. Equidem non recordor, iusiurandum testimoniale, praesente et admonente clerico, vnquam praestitum fuisse, nec vlla lege iubetur, vt testis prius, quam iusiurandum dicit, de periurio fugiendo per clericum moneri debeat, interim tamen, pro re nata, illud omnino fieri posse, non dubito. Potest hic a tortura argumentum duci, cui testes, ex ipsa iam iuris Romani dispositione, certis in casibus subiiciuntur. Sic non serui, solum testimonii causa, olim torqueri poterant, vti apparet ex *L. 1. §. 1. 5. 7. 8. seq. Pand. de quaestionibus*, sed nonnunquam et liberi, veluti si vacillabant *L. 15. pr. Pand. de quaest.* aut, si homines erant vilioris conditionis, *L. 21. §. 2. Pand. de testibus*, aut etiam ignoti, de quibus, quod veritatem sponte dicturi sint, dubitatur. *Nou. XC. Cap. I.* Hodie quoque testes nonnunquam torqueri posse, inter doctores in confesso est, quod comprobant BERGERVS in *Elect. disc. for. Tit. XXII. Obs. II.*

CARI



CARPZOVIVS in *praxi rerum criminalium Quaest. CXIX. num. 46. seq.* MENCKENIVS in *tractatione synoptica processus Tir. XXII. §. 8.* LVDOVICI in *der Einleitung zum Weini. Proceß, Cap. VI. §. 10. seq.* aliique quam plures, licet, si vsum fori spectamus, illud rarius contingere soleat, ex ea forsan ratione, quoniam ICTIS, qui ius dicunt, haec doctrina paullo durior esse videtur. Nihil interim obstabit, quo minus asseramus, testem, vt veritas inueniatur, iis in casibus de vitando periurio per clericum moneri posse, in quibus torturae locum concedunt doctores. Imo testem semper per clericum moneri posse crediderim, quotiescunque eum peieraturum esse, gratis suspicio subest. Pius enim et religiosus iudex omnia tentare debet, vt periurium euitetur et veritas in lucem prodeat. Nullo igitur modo taxari poterit, si et hanc adhibet medicinam, qua vitae, famae, bonorumque periculum, quod ex falso maleuolorum hominum testimonio, innocentes saepe incurrunt, a capite eorum forsan aueritur.



Wittenberg, Diss., 1756-58


ULB Halle 3  
003 608 042



156







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

DE  
VERITATE  
ER CLERICVM ERVENDA

1738

22

25

DISSERTATIO INAUGVRALIS

QVAM

EX GRATIA

OTENTISSIMI POLONIARVM REGIS  
ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE

PRO CONSEQVENDIS

MMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

D. NOVEMBR. MDCCLVIII

IN AVDITORIO MAIORI

SINE PRAESIDE

DEFENDET

RIDERICVS AVGVSTVS  
FISCHERVS

VITEMB. SAXO

FISCI REGII STEVRALIS IN CIRCULO ELECTORALI  
PROCVRATOR ET SENATOR VITEMBERG.



VITEMBERGAE

EX OFFICINA SCHLOMACHIANA

